

de Rescript. in 6. Debet ergo executor postquam littere ipsi sunt presentate inquirere, an vera sit preces, vel falsae: sufficit tamen, quod haec cognitio sit extrajudicialis, vel undecumque ipsi prece veritas innotescat, quia hoc arbitrio, & conscientia illius relinquitur, si haec cognitio omittatur, est nulla dispensatio; etiamsi preces vera sint: quippe non adimpletur conditio rescripti, contenta in illa clausula: *Te de praemissis diligentè informes*: Et: *Si preces veritate niti repereris, tunc dispensas*. Aliud est quando adicitur ea clausula: *Si preces veritate nitantur*. Nam tunc sufficit veritas precum, etiamsi nulla praecedat cognitio: siquidem haec in clausula non praescribitur. *Gave. de Benef. p. 6. cap. 2. num. 265. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 35. n. 15.* Debetque alias clausulas in litteris adjectas adimplere. Quod si inveniatur clausula insolita, & non conformes stylo Curiae supersedere debet in eorum executione, cum ex hoc de dolo, & fraude suspectae reddantur; *arg. cap. 6 de Crimine falsi*. Similiter debet supersedere, si aliud impedimentum, praeter expressum inter contrahentes inveniatur. Si tamen preces vere sint, nullumque aliud impedimentum obstat, sua sententia hoc declarabit, & juxta formam rescripti dispensabit, & sententiae sub nomine subscriptae tradet partibus transumptum authenticum, ut matrimonium contrahant juxta formam Concilii, quae clausula solet in litteris adijci, sed non tollit, quod Episcopus possit in denuntiationibus dispensare. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 35. n. 19.* Executor non potest alteri dispensationem subdelegare; *arg. cap. fin. §. Caterum, de Offic. delegat.* Informationem tamen potest alteri committere: nam ad informationem habet jurisdictionem: ad dispensationem tantum habet nudum ministerium. Executor intuitu dispensationis, nihil potest, nec poculenta, vel esculentia accipere, etiamsi sponte offerantur, nisi forte post dispensationem factam: vel si ratione stipendii pro labore informationem faciendi aliquid recipiat. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 35. n. 11. & 13. contra Navarr.* Deinde solet saepe in rescriptis personae qualitas adijci, dicendo, vel referendo, esse honestas, nobiles, vel principales. Et quidem si non tantum narrative, vel in principio rescripti hac opponatur qualitas, sed in medio, vel tamquam motivum dispensationis, quod indicatur in illis verbis, *ut asserunt, &c.*

Tunc haec qualitas coram executore est probanda; *arg. L. 2. C. de His, qui veniam etat.* Et sane honestus dicitur, qui honeste vivit, nullaque turpitudine ejus familia laborat. *Nobilis*, qui abstinet, ab his quae populares exercent. *Procreatus de nobili genere*, qui habet majores, vel saltem parentes nobiles. *Principales loci*, qui excellunt potentia, autoritate, vel opibus. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 19. n. 6.* Videndus signanter Vincentius de Justis de Disp. Matrim. lib. 3. cap. 2. n. 122. & seqq. *Pauperes miserabiles personae* dicuntur, qui ex labore, & industria tantum vivunt, & de praesenti nulla habent bona, etiamsi habeant spem certam, & jus in futurum ad legatum, vel haereditatem consanguineorum, sed praesens suo labore, & industria lucrantur honestam sustentationem, vel agricultura, vel officio, vel arte non liberali, & debet utique esse pauper, nec sat est, si unus pauper sit, dummodo alter sit dives; nam numerus pluralis requirit saltem duos. *L. 12. ff. de Testib.* Vincentius de Justis de Disp. Matr. lib. 1. cap. 7. n. 2. atque omnino est videndus a num. 72. & vidisse non poenitebit.

162 Matrimonium, quod ex aliquo impedimento est nullum, ratificari debet posito novo consensu, non merè interno, sed externo, verbis; vel signis constante, qualis requiritur ad actum humanum matrimonii: & quidem utriusque consensus debet intervenire, quippe antecedens fuit nullus, *cap. 1. de Spons. D. Thom. in 4. D. 40. q. un. art. 4. ad 6. Scot. Covarr. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 32. ex n. 2.* Debetque praecedere respectu utriusque conjugis notitia nullitatis antecedentis matrimonii; aliàs consensus dependens ab existimatione validitatis prioris matrimonii ex errore procederet: ac proinde ad matrimonium, quod de novo contrahendum est, non deserviret. *L. 15. ff. de Jurisdic. Et hoc deducitur ex tenore litterarum, & Bullae Cruciatæ, & ex quodam responso Clem. VIII. Sanch. de Matr. L. 2. D. 36. n. 4. Ponz. de Matr. L. 4. cap. 24. & alii contra Cajet. Angel. Sot. Vera-Cruz, Henriq. de Matr. L. 11. cap. 3. n. 6.* Idem ob easdem ferè rationes tenendum est, etiamsi nullitas matrimonii proveniat ex defectu consensus praestiti fictè, vel per metum, vel terrorem; ita *Felin. Palacios in 4. D. 27. disp. 1. f. 566. Ponz. de Matr. L. 4. cap. 25.* ubi hoc ex quadam declaratione Clem. VIII. & alia clausula Bullae Cruciatæ confirmat, contra *D. Thom.*

in 4. D. 9. 29. q. un. art. 3. q. 2. ad 2. Div. Bonaventur. Hostiens. Juan. Andr. Navarr. Man. cap. 22. n. 51. & 80. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 32. n. 9. qui probabilissimè tenent, sufficere novum consensum tantum ex parte illius, qui fictè contraxerat; ac proinde non requiri notitiam nullitatis, nisi tantum ex parte ejus, qui novum debet ponere consensum. Quae sententia potest praticari, quando aliquid inveniatur inconveniens in eo, quod conjux de hac nullitate certioretur. Si nullum periculum, vel scandalum timeatur in manifestatione nullitatis clarè manifestari debet; si verò aliquod scandalum timeatur; v. g. periculum vitæ, vel infamiae, vel desertio liberorum potest revalidari sine determinata notitia de nullitate. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 36. n. 5.* Si impedimentum est occultum, & matrimonium antecesserit est in facie Ecclesiae celebratum potest ratificari privatim. Si impedimentum est publicum debet de novo coram Párocho, & testibus celebrari; *arg. Tryd. sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.* Confessarius advertens impedimentum, quod conjuges ignorant, si nullum timeat inter ipsos scandalum, ipsis illud detegat; secus verò, si scandalum timeat: tunc enim eos in bona fide relinquere oportet.

TIT. XVII.

Qui filii sunt legitimi.

163 Filiorum nomine proprie veniunt solum immediate ex parentibus orti, sicut nomine liberorum ulteriores etiam decedentes intelliguntur; & etiam filiae nomine filiorum comprehenduntur. *L. 116. L. 201. ff. de V. S.* Fili ergo triplici modo sunt legitimi. 1. ex nativitate. 2. ex subsequente matrimonio: 3. ex rescripto Principis. Si filius 1. modo non sit legitimus, sequitur secundus, dum filius sit naturalis, & per talem modum ferè in omnibus aequiparatur legitime natis: addo, ut comprehendatur in statutis requirantibus, aliquid esse legitime natum. Si secundus modus non habeat locum, sequitur tertius: qui quidem est extraordinarius, & regulariter non conceditur, si filius legitimus, vel saltem naturalis inveniatur; qui per subsequens matrimonium possit legitimi: nisi aliud vellent expresse Principes legitims. Alius modus erat olim legi-

timisationis, scilicet per oblationem curiae, quando nempe pater liberos, vel eo mortuo ipsi liberi se offerbant curiae, seu ordini Decurionum, *§. fin. Inst. de Nupt. L. 3. C. de Natur. Liber.* quin etiam, & alii modi legitimandi solent haberi. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 68. art. 3.* Et quidem filii, alii sunt legitimi, alii illegitimi, legitimi alii sunt legitimi tantum, qui, scilicet, tales sunt, non natura, sed beneficio Legis; quales sunt adoptivi. Alii sunt legitimi, & naturales, qui, scilicet, ex justis nuptiis saltem putativis nati sunt, *cap. 2. b. t. pr. Inst. de Patr. potestat. L. 1. tit. 13. p. 4.* ibi: *Aquelllos deben ser llamados legitimos, que nascen de padre, & de Madre, que son casados verdaderamente, segun manda Santa Iglesia.* Illegitimi sunt, qui extra matrimonium, saltem putativè tale procreati sunt: quod si inter parentes potuit matrimonium consistere, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio, dicuntur naturales. Tales sunt, qui ex solutis nascuntur, etiamsi voto simplicis castitatis parentes ligati sint: nam votum simplex castitatis (excepto societatis post biennium) quamvis matrimonium faciat illicitum, non tamen invalidum; *arg. cap. 6. b. t. filius natus ex soluta, & Clerico in minoribus constituto, vel Novitio Religiosis, vel ligato sponsalibus cum alia naturalis est. Ponz. de Matr. lib. 11. cap. 2.* quod si matrimonium inter parentes aliquo ex his temporibus non potuit consistere, filii dicuntur spurii. Quod si alter eorum erat conjugatus, dicuntur adulterini, *cap. 4. 32. q. 4.* si alter erat Religiosus, vel Monialis dicuntur sacrilegi: si parentes erant consanguinei, vel affines, dicuntur incestuosi. Si nascuntur ex concubitu ascendendum, dicuntur nefarii, *§. 1. Inst. de Nuptiis.* Nati ex coitu, quem Leges puniunt, quale est adulterium, incestus, sacrilegium, &c. dicuntur nati ex damnato coitu. Spurius dicitur, teste *Nebriensis*, vel quasi sine patre filius, vel ab eo, quod *Græcè Sophroni*, Latine pudenda interpretantur. *Hispane: Bastardo*: dicitur. Naturales de Jure Civili dicuntur, qui nati sunt ex soluto, & concubina, quae domi, tamquam uxor habitata erat, & cum qua nullum erat dirimens impedimentum. In nostra Hispania, quinam, ut naturales sint habendi statuitur in *L. 11. Taur. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. C. Mandamos, que entonces se digan ser hijos naturales, quando al tiempo que nacieren, &*

fuesen concebidos, sus padres podian casar con sus madres justamente sin dispensacion, con tanto, que el padre lo reconozca por su hijo, puesto que no haya tenido la mujer de quien lo hizo en su casa, ni sea una sola. Spuri dicuntur in Jure Civili omnes illi, qui extra matrimonium nati sunt ex alia, quam concubina domi, loco uxoris habita, & etiam appellantur vulgò quæsitivi. L. 23. ff. de Statu homin. Eodem ferè modo distingui. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 68. art. 1. in corp. Quadruplex est status filiorum, quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut ille, qui nascuntur ex verò, & legitimo matrimonio; quidam naturales, & non legitimi, ut filii, qui nascuntur ex simpliciter fornicatione; quidam legitimi, & non naturales, sicut filii adoptivi: quidam, nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio, vel de stupro.

164 Legitimi ergo sunt, qui nascuntur ex legitimo, & valido matrimonio, etiam, si ex copula fornicaria ante matrimonium habita concepti sint, quippe non conceptionis, sed partus tempus inspicitur. L. 11. C. de Natural. liber. Etiam si nati sunt ex matre adultera, dummodo ex marito potuissent nasci: nam in dubio legitimi censentur; arg. cap. 4. h. t. quamvis similliores sint adultero, quam marito. Nec filii tenentur credere parentibus, etiam cum juramento, & in articulo mortis asserentibus, eos ex adulterio esse natos, cap. 10. de Probat. Similiter legitimi sunt nati septimo mense. L. 12. ff. de Statu homin. vel decimo. L. 29. ff. de Liber. & post. vel undecimo post mortem mariti: imò, & ulterioribus arbitrio judicis. Menach. de Arbitr. cas. 89. num. 48. Paul. Zachias, & alii. Etiam si parentes voto simpliciter castitatis sint ligati proles ex eis nata legitima est, capaxque successionis hæreditariæ, sacrorum ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. Azor p. 2. lib. 2. cap. 6. q. 8. si post matrimonium consummatum unus, vel ambo parentes votum solenne castitatis mutuo consensu emisissent, proles post votum nata legitima erit quoad Civilia, scilicet hæreditatem, & alia: illegitima tamen quoad Canonica, scilicet, beneficia, ordines, vel quid simile, cap. 14. de Filiis Presbyter. Etiam talis erit proles procreata ab eo, qui post matrimonium ratum, nondum consummatum Sacros Ordines suscepit. Si verò quis post matrimonium ratum ingressus est Religionem, & postea filium ex sua uxore

re habuit, erit illegitimus, & spurius, siquidem per professionem fuit matrimonium solutum; ac proinde talis filius est natus extra matrimonium. Quando matrimonium est invalidum ob aliquod impedimentum occultum, si tamen in facie Ecclesiæ, & bona fide, saltem ex parte unius contrahentis est contractum, filii ex eo nati legitimi profectò sunt; arg. cap. fin. §. Si quis, de Clandest. Despons. v. g. si uxor ignoret impedimentum ligaminis, quo vir laborat, cap. 14. h. t. L. 1. tit. 13. p. 4. Barbos. & Gonz. in cap. 2. h. t. num. 4. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. n. 46. Quod quidem locum habet, etiam si parentes laborent errore juris, non solum probabili, sed etiam injusto, & liquidum juris, arg. cap. 14. h. t. Er deducitur ex quodam responso Greg. XIII. ad questionem à Maronitis propositam. Nam etiam stante tali errore datur in parentibus bona fides, cum matrimonio in facie Ecclesiæ, & premissis denuntiationibus sit celebratum; arg. L. fin. ff. de Rit. nuptiar. nec error parentum nocere debet filiis, in quorum favorem cedit legitimitas: ipsis enim tantum nocet ignorantia affectata parentum, cap. fin. §. Si quis, de Cland. Despons. Sic Covarr. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 1. n. 2. Barbos. in cap. 2. h. t. n. 3. & 17. ibid. Gonz. n. 4.

165 Illegitimi sunt filii nati ex matrimonio invalide contracto ob impedimentum occultum, si culpabiliter sint omisæ denuntiationes. Sic enim contrahentes scientiam impedimenti, vel saltem ignorantiam affectatam, quæ æquiparatur scientiæ, censentur habuisse: ac consequenter malam fidem, cap. fin. §. Si quis, de Cland. Despons. In foro tamen conscientie talis proles legitima censebitur, cum bona fides habeatur ob ignorantiam invincibilem. Sic Suar. de Cens. D. 50. sect. 11. num. 10. contra Barbos. in cap. 2. h. t. n. 22. Proles habita cum tali impedimento, quando uterque parens habet scientiam impedimenti ob malam fidem est illegitima, & spuria. L. 1. tit. 13. p. 4. Legitima tamen est, si habita sit, etiam post contestationem litis, sed ante divortium, cap. 2. h. t. L. 1. tit. 13. p. 4. quin & post sententiam divortii, si per appellationem est suspensa, vel nondum in rem judicatam transiit. Nam etiam litente, conjugibus carnale commercium permittitur: ac proinde adhuc sunt in bona fide, cap. 2. Ut independent. Punc. de Matrim. lib. 11. cap. 8. n. 6. Barbos. in cap. 2. h. t. n. 13. Gonz. ibid. n. 8. Qui dubitant

de valore matrimonii ante ipsum, nec adhibita diligentia ad inquirendum impedimentum contrahunt, impedimento postea detecto, proles illegitima est: quia parentes malam fidem, seu ignorantiam affectatam habuerunt. Si dubium matrimonio bona fide contracto superveniat, etiam postea detecto impedimento, proles, etiam stante dubio, habita legitima est, quia parentes sunt in fidei bonæ possessione. c. 5. §. 4. q. 2. Gonz. in c. 2. h. t. n. 4. Sanch. de Matr. L. 2. D. 41.

166 Proles nata ex matrimonio infidelium, contracto cum impedimento Ecclesiastico, legitima est etiam post conversionem infidelium ad fidem. c. fin. h. t. Siquidem respectu illorum tale matrimonium est validum, cum jure Ecclesiastico non ligentur. c. 8. de Divort. nec matrimonium per eorum conversionem irritetur. c. 4. de Consang. & affin. si impedimentum sit Juris naturalis, & Divini, quo etiam infideles ligantur, matrimonium est invalidum, prolesque illegitima: nisi forte ipsi bona fide tale matrimonium contraxerunt. c. fin. h. t. Sanch. legitimi, quoad dignitatem, gentem, & familiam sequuntur patris conditionem. L. 19. ff. de Statu homin. L. fin. tit. 13. p. 4. causa naturalium, seu legitimitatis, si in ea de jure, & valore matrimonii agatur, ut matrimonio annexa, censetur spiritualis: ac proinde sive principaliter, sive incidenter tractetur, debet coram Ecclesiastico agi. c. 5. c. 7. h. t. Aded, ut secularis debeat supersedere in causa principali, donec natalium causa coram Ecclesiastico disquiratur. c. 3. de Ordin. cognit. si solum circa factum inquiretur: v. g. an matrimonium sit defacto inter personas habiles contractum, potest Laicus de causa natalium incidenti cognoscere; arg. c. 5. h. t. Barb. in c. 7. h. t. n. 2. Covarr. & alii. Deinde filii naturales secus spurii, legitimantur per subsequens matrimonium eorumdem parentum, quicumque hi sint: & etiam si dispares sint in qualitate: & etiam si foemina sit meretrix publica: & etiam si tantum ratum sit matrimonium, vel à senibus, vel constitutis in articulo mortis contractum, dummodo in facie Ecclesiæ, hoc est, coram Parocho, & testibus, ubi Trid. est receptum contractum sit. Et etiam si denuntiationes culpabiliter sint omisæ, nam hæc omisso non redit matrimonium invalidum. Ubi Trid. non est receptum non requiritur illius solemnitas. Tale enim matrimonium fictione ju-

Tom. II.

ris retrotrahitur ad tempus copulæ cum matre habitæ. c. 6. h. t. L. 10. L. 11. c. de Natural. liber. L. 1. tit. 13. p. 4. Sic exigente matrimonio, & liberorum favore, siquidem filii culpæ parentum poenam evadunt, & parentes turpiter conjuncti, filiorum amore, ad matrimonium alligantur. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 105. Punc. de Matr. lib. 11. cap. 1. ex num. 1. Barb. in c. 6. h. t. Gonz. in c. 1. h. t. n. 11. Hinc si Titius, v. g. ex Seja habuit filium naturalem, & postea contraxit cum Mevia, si hæc mortua, cum Seja contrahat, legitimatur filius naturalis: quia matrimonium retrotrahitur ad tempus copulæ. Punc. de Matr. L. 11. cap. 1. n. 15. Barb. in c. 6. h. t. n. 7. Hæc eadem ratione, si Titius ex Seja habens Sempronium filium naturalem, & ex eo nepotes, si cum Seja contrahat, non solum vivente, sed etiam mortuo Sempronio, legitimantur nepotes. Nam retrotracto matrimonio, & per illud legitimo Sempronio, consequenter legitimi sunt nepotes respectu Avi; arg. L. 5. ff. de Gradib. & affinib. ubi adoptatus in filium censetur frater filii naturalis præmortui. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 2. Punc. de Matr. lib. 11. cap. 1. n. 23. Barb. in c. 6. h. t. num. 32. contra Bald. Decium, & alios. Non solum quando intercedit verum matrimonium legitimantur filii; sed etiam, quando hoc est invalidum ob aliquod occultum impedimentum dirimens, putativè tamen est justum, & validum: quia in facie Ecclesiæ, & ignorantè est contractum. Si enim tale matrimonium prolem ex eo natam faceret legitimam. c. 2. c. 14. h. t. cur non legitimavit antecessenter natam? Suar. de Cens. D. 50. sect. 1. n. 10. Sanch. de Matr. L. 3. D. 42. n. 2. Punc. de Matr. L. 11. c. 1. n. 13. Gonz. in c. 2. h. t. n. 6. contra Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 20. Sarmient. Mol. & alios. Hæc eadem ratione dicendum est, legitimari per matrimonium non solum prolem verè naturalem, sed etiam eam, quæ cum verè sit spuria, putatur naturalis; v. g. si filius procreatur à consanguineo, vel conjugato, qui à comparte haberetur, ut solutus, & extraneus. Nam talis copula solum materialiter esset adulterina, vel incestuosa. Sylv. Punc. de Matr. lib. 11. cap. 2. n. 8. contra Covarr. Gutierr. Garc. de Benef. p. 7. cap. 2. n. 33. Molin. tr. 2. D. 172. n. 11. Barb. in c. 6. h. t. n. 42.

167 Ut filii naturales dicantur, sufficit si aliquo ex tribus temporibus conceptionis, scilicet, natiuitatis, vel medio

O

ha-

habiles sint ad contrahendum licet in aliis irretiti impedimento dirimente inveniatur. *L. 11. C. de Natural. liber. Quod præcipue in nostra Hispania de Jure Regio tenendum est. L. 11. Taur. L. 9. tit. 8. L. 5. R. C. Sicut quodlibet ex his temporibus sufficit ad ingenuitatem, L. 5. L. 7. ff. de Stat. homin. Ac proinde filius conceptus tempore, quo parentes erant inhabiles ad contrahendum ob impedimentum Ordinis Sacri, vel ligaminis, si nascatur tempore, quo tale impedimentum jam erat ablatum per dispensationem, vel alio modo, naturalis est: ac proinde per subsequens matrimonium legitimitur. Sic Covarrub. de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 2. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 7. n. 19. Greg. Lop. in L. 2. tit. 15. p. 2. Ponce de Matr. lib. 11. cap. 3. Molin. Barb. & alii. Contrarium tamen tenent alii cum Sutr. de Cens. D. 50. sect. 1. n. 3. In legitimatione præcipue attenditur favor publicus matrimonii. c. 6. h. t. ac proinde, nec parentum, nec aliorum legitimorum filiorum consensus requiritur: imo nec ipsius legitimandi; arg. L. 38. ff. de Pact. c. 12. de For. compet. ut contra aliquos Civilistas tenent Covarrub. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 16. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 172. n. 5. Ponce de Matr. L. 11. cap. 1. n. 22. Nec de Jure Canonico, nec Civili requiruntur ad legitimationem instrumenta nuptialia, quibus dos, vel donatio propter nuptias constituitur, cum nec ad valorem matrimonii requirantur, ut contra aliquos tenent Ponce de Matr. L. 11. cap. 1. n. 18. & alii. Filii naturales, secuto parentum matrimonio, non solum legitimi censentur, sed verè legitimi sunt. Barbos. & Gon. in c. 6. h. t. n. 4. Ac per omnia aliis fratribus legitime natis æquiparantur. Et eorum legitimatione revocatur donatio omnium bonorum; arg. L. 8. C. de Revoc. donation. Habentque querelam, retractum, &c. nobilitatem paternam consequuntur, armis, ac insignibus familiae uti possunt. *Triaque de Nobil. cap. 15. n. 21. Gonz. in c. 1. h. t. n. 9.* Suntque capaces Sacrorum Ordinum, beneficiorum, & dignitatum, Cardinalatu excepto ex *Coist. Sixt. V. Postquam 1590.* Possunt tamen in Episcopos eligi. *Barb. in c. 6. h. t. n. 24. & 25.* Succeduntque in hereditatem legitimam parentum, & cognatorum, in feuda, emphiteusim Ecclesiasticam fideicommissa, in Regna, Principatus, & majoratus, & alia hujusmodi. Siquidem fictione juris creduntur*

nati ex legitimo matrimonio. Itaque sic legitimitus præferitur filius legitime natis post ejus legitimationem: imò juxta plures, etiam natis ante ejus legitimationem, si nati sint post illius nativitatem; v. g. Titius habuit Sempronium ex Titia soluta ann. 1720. Postea ann. 1724. contraxit cum Seja, ex qua habuit filios legitime natos; postea ann. 1730. mortua Seja contraxit cum Titia, Sempronius ergo Titia filius legitimatus jam per matrimonium præferitur in majoratu suis fratribus legitime natis. Sic *Felin. Covar. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 35. Ponz. de Matr. L. 11. cap. 11. n. 9.* Dicendum tamen est, quod licet hæc legitimatione prossit filius naturalis, quando nullum legitimi præjudicium sequitur; non tamen illis prodest, ut præferatur antea legitime natis: quia jus prælationis quæ situm habent in majoratum, quod non potest tolli per privilegium legitimationis factæ per subsequens matrimonium, siquidem tale privilegium non debet esse legitimis damnosum. Deinde mater filii legitime nati posset conquiri tanquam decepta, si suo filio naturalis præferretur: cum forte si hoc scisset, non consentiret in matrimonium. Et probatur ab arg. L. 12. Taur. L. 10. tit. 8. lib. 5. R. C. Sic *Molin. de Primogen. Azor, Greg. Lop. in L. 2. tit. 15. p. 2. V. Sino el fijo mayor. Gom. in L. 12. Taur. n. 64. Cisuentes Cevallos, & alii apud, & cum Gonz. in c. 6. h. t. n. 9.* Et hanc sententiam vocant communiorem. *Barb. in c. 6. h. t. n. 23. Azev. in L. 10. tit. 8. lib. 5. R. C. n. 15.* Quando verò fundator majoratus excludit à successione legitimum per subsequens matrimonium, cum hoc à voluntate dependeat fundatoris, non potest in majoratum succedere; si verò non excludatur modo dicto, sed vocetur ad majoratum filius legitimus ex legitimo matrimonio natus, potest succedere filius naturalis legitimatus, quia jam per subsequentem matrimonii retroractionem intelligitur de legitimo matrimonio natus; arg. c. 6. h. t. L. 1. tit. 13. part. 4. Sic tenent *Ponce de Matr. L. 11. c. 11. n. 10. Molin. de Primog. L. 3. c. 1. n. 10. contra Barb. in c. 6. h. t. n. 22. Gonz. in c. 6. h. t. n. 10. & alior.*

168 Ultra prædictos modos, quibus filii, vel nascuntur, vel fiunt legitimi, datur legitimitas per rescriptum Principis facta. Et quidem solus Supremus Princeps Superiorem non recognoscens potest legitimare, vel jus legitimandi com-

mittere. c. 13. h. t. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 173. n. 7. Ponz. de Matr. L. 11. cap. 5. n. 1.* Sic Rex in suo Regno legitimare potest suos subditos, non alios, & quidem, quoad effectus tantum profanos, non verò quoad Ecclesiasticos; arg. c. 13. h. t. Nam legitimitas est actus jurisdictionis saltem voluntariæ, quæ in non subdium nequit exerceri. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 8. n. 44. Ponce de Matr. L. 11. c. 6. n. 2.* Nec potest extendi ad effectus extra legitimantis potestatem existentes. Similiter Papa in territorio suo dominio temporali subiecto legitimare valet, etiam quoad effectus temporales. c. 13. h. t. quoad effectus tamen Ecclesiasticos potest in universali Ecclesia legitimare ex universali potestate, quam habet: secus quoad sæculares, nisi alicuius Regni, vel Provinciæ gravis necessitas spiritualis: v. g. fidei, seu Religionis id exposceret. *Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 8. n. 18. Sanch. de Matr. L. 8. D. 7. n. 1. Ponce de Matr. L. 11. cap. 6. n. 6.* Indirectè tamen potest ubique legitimare, vel declarando validum matrimonium, de cujus valore dubitatur, vel si certè nullum est ob aliquod impedimentum: & quidem tantum Ecclesiasticum, dispensando in radice matrimonii, hoc est tollendo impedimentum, vel derogando Legem Ecclesiasticam, qua cessante, cum matrimonium validum sit, filii ex eo nati absolute legitimi sunt, quoad omnes effectus, non tantum Ecclesiasticos, scilicet ad ordines, beneficia, & dignitates; sed etiam ad hereditatem, feuda, majoratus, aliosque effectus sæculares: quin obstet, quod pater sit præmortuus, nec quod legitimitas, causa id exigente, aliquomodo in præjudicium cedat tertii. Sic contra *Nav. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 624. & alios, tenent Ponce de Matr. L. 11. cap. 5. n. 9. Sanch. de Matr. L. 8. D. 7. n. 4. ubi plures refert, & concludit: & his diebus in hoc Prætorio Granatensi sententia pars hæc definita est. Gonz. in c. 13. h. t. num. 22.*

169 Ut rescriptum valeat debet in libello in quo legitimitas impetratur, exprimi. 1. causa, quæ ad legitimationem debeat movere. 2. an extent liberi legitimi 3. an legitimandus sit spurius, vel naturalis. Si naturalis, an posset sine patris dedecore per matrimonium legitimari: si superius, an natus sit ex incestu cum matre, filia, vel sorore habito, vel an ex sacrilegio; & tunc an natus sit ex

Sacerdote, Moniali, Religioso, vel utroque simul: vel an ex adulterio natus sit. *Ponz. de Matr. lib. 11. cap. 7.* Per rescriptum enim Principis non solum filii naturales, sicut per subsequens matrimonium: sed etiam spurii, & nati ex coitu damnatio legitimi possunt. Magnum tamen versatur discrimen inter hos legitimatos. Nam per subsequens matrimonium legitimatus omnia jura legitimatorum, præter posse ad Cardinalatum assumi, acquirit: legitimatus per rescriptum solum habilitatur quoad ea, quæ nullo modo in præjudicium legitimorum cedunt: nec ipse succedit in feudum, majoratum, & similia, nisi hoc in rescripto, saltem in genere exprimat. Ac proinde legitimitas à Principe concessa, natis filiis legitimis cessat, & revocatur quoad paternam successione; arg. L. 8. C. de Revoc. donat. Et quidem in nostra Hispania etiamsi à Principe, quis sit legitimatus expresse, ut succedat in hereditates ascendentium, natis legitimis, evanescit quidem talis legitimitas quoad hunc effectum; secus quoad alios: imò etiam cessat legitimitas per rescriptum, si post ipsam, filii naturales per subsequens matrimonium legitimentur. *L. 12. Taur. L. 10. tit. 8. lib. 5. R. C.* Et concludit: *Pero en todas las otras cosas, assien suceder à los otros parientes, como en honras, y prebeminencias, que han los hijos legitimos, mandamos, que en ninguna cosa desferan de los hijos nacidos de legitimo matrimonio.* Legitimitas per Principem non aliter fit, quam patre consentiente: imò, & libello supplici legitimationem petente, ipsoque filio legitimando, saltem non contradicente, vel ratum habente, aliisque liberis legitimis, si extent, consentientibus: quia Princeps non censentur velle legitimare cum eorum præjudicio. Non verò requiritur, consensus cognatorum, alias ab intestato venientium: quippe adhuc non habent jus aliquod, sed tantum spem ad bona, *Ponce de Matr. L. 11. cap. 7. Gonz. in c. 13. ex n. 21.* In nostra Hispania non prodest, hæc legitimitas ad nobilitatem obtinendam, & ad habendam exemptionem à tributis, hoc est: *No se estienden à bidalguia, ni exemption de pechos, y tributos. L. 12. tit. 2. lib. 6. Recopil. Castellana.*

TIT. XVIII.

Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

170 **N**ON agitur in presenti de accusatione, seu denuntiatione impedimenti matrimonii, quando hoc adhuc non est contractum; siquidem tunc omnes de Populo possunt, quin & tenentur illud Parocho, vel Iudici Ecclesiastico denuntiare, ut in *tit. 3. hujus Libri* dictum est. Nunc agitur, quando matrimonium jam est contractum, & potest aculari, seu impugnari, vel quoad separationem, quoad vinculum; vel quoad divortium, quoad cohabitationem tantum: & tunc solus conjux innocens, in cujus favorem jus divertendi principaliter est introductum, potest accusare matrimonium, si vult, & potest similiter non accusare: siquidem huic juri renuntiare valet. *c. 4. de Adulter. L. 2. tit. 9. p. 4.* Hac eadem ratione soli conjuges admittuntur ad impugnandum matrimonium, ut tamquam invalidum dissolvatur, quando ejus nullitas provenit ex impotentia, errore circa personam, aut conditionem, vel ex metu: quippe conjux potest impotentem, tamquam frater sorori cohabitare. *c. 4. de Frigid. & malefic.* Et errore, & metu cessantibus potest de novo in matrimonium conjux metum passus consentire. *c. 2. & fin. de Conjug. serv. c. 4. b. t. c. 21. de Spons. L. 1. tit. 9. p. 4.* Si verò ob consanguinitatem, affinitatem, vel publicam honestatem matrimonium dissolvi intendatur, admittuntur parentes, & consanguinei hisque deficientibus vicini: quia meliorem impedimenti notitiam possunt, & solent habere. *c. 3. b. t.* Quando ex alio impedimento impugnatur, non solum conjuges, sed, & alii, qui non repelluntur præcipue si illorum intersit admittuntur. *arg. c. 1. de His que vi. L. 3. tit. 9. p. 4.*

171 Ab accusatione ergo repelluntur. 1. qui falso, & malitiose accusare præsumuntur. *c. 14. 2. q. 1. 2. qui accusant, vel ab accusando desistunt pecunia accepta turpis quæstus causa. cap. 5. b. t. L. 4. tit. 9. p. 4. 3. qui non manifestant impedimentum, cum proclamationes sunt factæ: nisi jurent, vel proclamationes ignorasse, vel earum tempore*

notitiam impedimenti non habere. *L. 5. tit. 9. p. 4. 4. Qui absentes accusant per litteras, non personaliter; nisi alia suffragantur adminicula. c. 2. b. t. 5. Mulier quæ invita ab initio, & metu coæta contraxit, sed copulam postea admisit, c. 4. b. t.* Quando impugnatur matrimonium contrahendum, sufficit semiplena probatio per famam communem, vel per unum testem, etiamsi sit denuntiator: quia tutior via in tali dubio sequenda est, cum agatur de peccato vitando. *c. 12. de Sponsal. c. 2. de Consanguinit. c. 4. de Testib. L. 18. tit. 9. p. 4.* si matrimonium jam est contractum, non aliter dissolvitur, quam si adsit plena probatio per duos testes juratos omni exceptione majores. *c. 23. de Testibus*, si hæc desit, vel aliud dubium juris insurgat pro matrimonio, non contra illud est pronuntiandum; quia præsumptio est pro matrimonio, in cujus possessione sunt conjuges præcipue, quia matrimonii causa favorabilis est. *c. fin. de Sent. & Re judic.* Et ut occasio collusionis tollatur, non est credendum conjugibus, etiamsi ambo defectum, vel delictum, ex quo esset dissolvendum fateantur. *c. 5. de Eo, qui cognovit.* Si tamen non dissolutionem, sed dispensationem petant, quia cessat collusionis periculum, ipsis creditur. Ad probanda autem ea, quæ ab accusatore obijciuntur, debent in testes admitti illi, qui non sint suspectæ fidei, & meliorem notitiam controversiæ habere creduntur. *c. 47. de Testib.* etiam si pater sit, vel consanguinei, præcipue, cum de consanguinitate, vel affinitate, vel publica honestate agitur. *c. 3. b. t. c. 5. de Testibus*, etiamsi pro matrimonio sustinendo contra accusatorem deponant. Repelluntur tamen à testimonio dicendo. 1. qui sunt suspectæ fidei; v. g. qui ad deponendum, vel non deponendum, pecuniam accipit. *c. 1. de Testib.* 2. Qui matrimonium accusat, ne idem accusator, & testis sit, nisi forte sit denuntiator & Judex ex officio inquirat: tunc enim admittitur. *arg. c. 4. de Testib.* 3. Qui non viva voce, sed absentes per litteras testificantur. *c. 2. b. t.* nisi aliud suadeat consuetudo. De quibus agitur in *L. 15. L. 16. L. 17. tit. 9. p. 4.* Matrimonium semper impugnari potest, etiamsi pro ejus valore sententia lata sit: eam hæc nunquam transit in rem judicatam. *c. 7. de Sent. & Re judic.* Ob vitandum periculum peccati, quod ex cohabitatione non conjugum resultaret. Sed cum hæc ratio, mortuus conjugibus,

bus, cesset, si tunc filiis moveatur lis, quarum legitimitas ob nullitatem matrimonii impugnetur: tunc sanè habet locum Jus Commune, quo actiones civiles quæcumque sint, 30. vel 40. criminales, seu accusationes, 20. annis præscribuntur, & extinguuntur.

172 Causa matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum pertinet. *c. 3. de Ordin. cognit. c. 5. c. 7. Qui filii legit. Trid. sess. 24. de Matr. Can. fin.* quia matrimonium est Sacramentum, ac proinde est res spirituales, cujus cognitio ad Ecclesiasticum spectat. *c. 2. c. 3. de Judic.* Etiam si incidat in causam secularem, quæ apud Laicum agitur; quia hic admodum incapax ejus cognitionis est, ut neque summarie de ea cognoscere valeat; nisi de mero facto agatur: quippe tunc potest cognoscere, ut sæpe diximus. Nomine matrimonii veniunt, quæ cum ipso sunt connexa, ut sponsalia, impedimenta matrimonii, & eorum dispensationes, jura, & obligationes conjugum, & sponsorum, prolium legitimitas, & benedictio nuptialis. Nam acesorium sequitur principalis naturam. *c. 42. de Regul. jur. in 6.* Causa dotis, donationis propter nuptias, hæreditatis, alimentorum, & aliarum hujusmodi ad forum Sæculare spectant, nisi in causam matrimonialem incidant. Tunc namque de eis Ecclesiasticus cognoscit, cujus jurisdictio ad has causas prorogatur: nam licet sit incompetentis respectu illarum, non tamen incapax. *c. 3. c. 6. c. 7. de Donat. inter virum, & uxorem.* Judex causarum matrimonialium est 1. Episcopus, non Prælatus inferior. *c. 12. de Exces. Prælat. Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 20. 2. Capitulum Sedevacante; arg. c. 11. c. 14. de Major. & Obedient. 3. Vicarius generalis Episcopi, vel capituli, etiam sine speciali mandato. *c. fin. de Cognat. spirit. c. 1. de Frigid. & malefic. L. 2. tit. 9. p. 4. ibi: Et al acusacion lebe ser fecha ante el Obispo, & ante su Oficial.* 4. Prælati exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio, & in ejus populum. 5. Habentes prælegium Pontificis. 6. Delegati ad has causas à Papa, vel Episcopo: delegati tamen non possunt has causas subdelegare: *a. c. fin. de Offic. deleg.* Qui sunt muniti præriptione, non quadragenaria, ut olim, sed immemorabili prout à Sacra Cœregat. declaratum testatur. *Gonz. in Reg. Cancell. Gloss. 33. n. 5. Sanch. de Matrib. 3. D. 29. & aliis.* Benedictus X. novissimè providit pro gravitate causa matrimonialium, quod quando*

ageretur de matrimonii dissolutione, vel nullitate, defensor matrimoniorum assignetur, qui in omnibus instantis debeat citari, & audiri in favorem matrimonii, & à sententia nullitatis appellare. Præterea quod nunquam dissolvatur matrimonium, nisi interveniant pro nullitate duæ sententiæ penitus similes, & conformes, à quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderint appellandum: sic in Constit. *Dei miseratione. Ann. 1741. **

TIT. XIX.

De Divortiiis.

173 **D**ivortium, sic dictum est, vel à diversitate mentium, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. *L. 2. ff. b. t.* Sanè inter divortium, & repudium hoc interest, quod repudiari, etiam futurum matrimonium potest, non rectè autem sponsa divortisse dicitur. *L. 191. ff. de V. S.* Divortium ergo est viri ab uxore, vel è contra legitima separatio. *c. 18. 33. q. 2. L. 191. de V. S. L. 1. tit. 10. p. 4. ibi: Divortium en Latin, tanto quere decir en Romance: como departamiento; è cosa, que departe la muger del marido, è el marido de la muger, por embargo que hà entre ellos, quando es probado en juicio derechamente.* Si latè sumatur, comprehendit etiam dissolutionem matrimonii, quoad vinculum, vel quia nullitèr erat contractum, & declaratur invalidum; vel quia matrimonium nondum consummatum, licet validè contractum, dissolvitur per professionem Religiosam. Sed strictè, & propriè significat separationem, sive perpetuam, sive temporalem, quoad thorum, & cohabitationem tantum, vinculo matrimonii permanente. Matrimonium validum inter christianos contractum postquam semel consummatum est, nunquam dissolvitur; nisi alterius conjugis morte, ut constat ex illo Christi D. apud *Matth. 19. v. 6. quod Deus conjunxit, homo non separat.* Et ut *Apost. ait. 1. ad Cor. 7. v. 39. Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 67. art. 4. in corp.* Qui & alii Textus de matrimonio consummatum debent intelligi, sic Ecclesia declarante. *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat. L. 4. tit. 10. p. 4. ibi: E por ende ha departamiento entre los casamientos, que facen los Christianos, è los de las otras leyes: Ca segun Santa Iglesia manda, nunca el casamiento se destruye, pues que es fecha*

dereciamente, maguer venga, y divorcio, mas siempre tiene en vida aquellos, que el hicieron, è nunca puede casar ninguno de ellos, mientras que viviere el otro. Matrimonium enim consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem naturæ humanæ. c. 5. de Bigamis, quæ conjunctio cum perpetua, & indissolubilis sit, similiter perpetuum, & indissolubile debet esse matrimonii vinculum. Matrimonium etiam Hereticorum consummatum non aliter dissolvitur, quam morte alterutrius, etiamsi errore privato contrahentes credant, matrimonium esse solubile. Nam si saltem in genere intendant contrahere matrimonium, ut est institutum, & necessarium ad procreationem prolis. (Et in dubio hanc intentionem habere censentur favore matrimonii; arg. c. fin. de Sent. & Re judic.) Tunc hæc intentio generalis prævalet errori privato: ac proinde verum, & indissolubile matrimonium contrahunt: secus est, quando consensus tali errori alligant contrahentes. Siquidem matrimonii substantiæ repugnat. Et tunc, nec valet, nec sufficit talis consensus ad verum matrimonium. c. fin. de Condit. apposit.

174 Fide Divina est certum, matrimonium fidelium consummatum, non dissolvi quoad vinculum adulterio alterutrius. Conc. Florent. in Decret. de Union. §. Septimum, Trid. sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 7. quod docetur juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam. Luc. 16. v. 18. Marc. 10. v. 11. Apost. 1. Cor. 7. c. 47. Apostol. Opponunt tamen contra hanc veritatem aliqui Hæretic. 1. Illud Christi Domini apud Matth. 5. v. 31. & 32. Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam machari, & qui dimissam duxerit adulterat. Et alibi apud ipsum Matth. 19. v. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur. Cum ergo, & exceptio firmet regulam in contrarium; arg. c. 4. de Reg. jur. in 6. L. 4. C. de Transact. & solum causa fornicationis sit excepta, sequitur non machari eum, qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit. Nec hic Text. potest intelligi de dimissione quoad thorum, sed de dissolutione vinculi matrimonii alias Christus D. non respondisset questioni Phariseorum, nam hi de dissolutione matrimonii rogabant, non de divortio quoad thorum. Nec solum causa fornicationis exciperetur à Christo, nam ex aliis iidem causis potest, quoad thorum, & co-

habitationem, dimitti uxor. Dicendum est tamen, quod Christus D. fuit interrogatus à Phariseis, quando viro liceret uxorem dimittere, quæ dimissio duo continet, vel separationem, quoad vinculum, vel quod thorum tantum, primam fieri negavit, hanc ex causa fornicationis, non ex quacumque, ut Judæi credebant, posse fieri respondit. Nec divortium novæ Legis subrogatum est in omnibus repudio veteris. Nam repudium significat dissolutionem, quoad vinculum: divortium, quoad cohabitationem tantum. Abulens. in Matth. 19. q. 76. ad 5. sensus ergo istius Textus est, quicumque dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis machatur, aut facit eam machari, quia eam sine causa justa dimittens, præbet ei occasionem machandi, & ipsi fornicatio imputatur. Hoc suadent alii Text. scilicet Marc. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18. 1. Cor. 7. v. 10. Quibus generaliter negationem, quoad vinculum, & Textus scripturæ debent inter se concordari; arg. Text. in c. 29. de Elect. in 6. Christus D. solum fornicationem exceptit, quia fornicatio est unica causa faciendi divortium perpetuum, & absolutum: licet plures aliæ dentur ad divortium faciendum ad tempus certum, vel incertum. Trid. sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 8. 2. Zacharias Papa in c. 23. 32. q. 7. ait: Concubuit cum sorore uxoris tuæ? Si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuerit conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Ergo quia dissolvitur matrimonium per adulterium. Resp. quod neutri, altero superstitæ, permittitur matrimonium. c. 22. 32. q. 7. altero verò mortuo, permittitur innocenti, secus adultero, cui in pœnam delicti matrimonium secundum prohibetur. Et olim erat unum ex impedimentis impedientibus. Sic communiter DD. 3. D. Ambros. in c. 17. 32. q. 7. ait: Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis, quod si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo, & vir similiter non dimittat uxorem: & addit D. Ambrosius: ideo non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam. Ergo quia matrimonium dissolvitur adhuc uxore vivente; alias viro non liceret aliam ducere. Resp. quod iste Textus est suppositus, siquidem D. Ambros. in c. 4. 32. q. 4. & c. 2. 33. q. 2. credit, utriusque conjugis æquam esse conditionem. Si ergo D. Ambrosio hunc tribuimus Textum, dicendum

est, locutum fuisse secundum Legem Juliam, qua marito innocenti permittebatur matrimonium, secus uxori adulteræ. 4. c. 6. 31. q. 1. ex Concilio apud Vermerias, vel Vormatiam ait: Si quæ mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir eam ream esse confilii, potest ut nobis videtur ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere. B. quod hic testis est intelligendus juxta c. 1. b. t. ubi dicitur: Potest ipse post mortem uxoris, si voluerit aliam ducere, ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ absque spe conjugii stet subjecta. Quæ omnia clare explicantur in L. 2. tit. 10. p. 4. ibi: Fueras ende en el departamiento, que fue fecho por razon de adulterio, ca podria casar el que fincasse vivo despues que muriesse el otro.

175 In Lege Naturæ fuit matrimonium indissolubile ex Matt. 19. ubi Christus Pharisæis de repudio interrogantibus respondit: Ab initio autem non fuit sic. In Lege autem Moysis, seu scripta Judæis fuit permissum repudium. Deut. 24. ibi: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem. In qua Lege ait D. Thom. 3. p. Sup. q. 67. art. 5. in corp. duo erant permissa, scilicet, dimittere uxorem, & uxorem dimissam alteri jungi: & duo præcepta, scilicet, scriptura libelli repudii, & quod iterum, maritus repudians, eam accipere non possit. Permittebatur enim repudium ad vitandum uxoricidium, ad quod incitabat odium contra uxorem conceptum, vel ob uxoris fornicationem, vel ob lepram, vel aliam fœditatem corporis, vel animæ in quo variant DD. Hoc quidem repudium juxta aliquos licitum erat ex dispensatione Divina, quod videtur probari ex eo quod Propheta non reprehendisset repudium, & alias per ipsum dissolvebatur matrimonium. Deut. 24. L. 4. tit. 10. p. 4. & hanc partem tuerent D. Chrysostom. Alb. Mag. Durand. Abul. Palac. Belarm. Sanchez de Matr. lib. 10. D. 1. n. 7. Pone. de Matr. lib. 7. cap. 50. n. 1. Gonz. in c. 1. b. t. n. 6. dicendum tamen est, quod tam repudium, quam matrimonium quod cum alio con-

trahebat repudiata, solum permittebantur, quatenus non puniebantur, ut sic majora vitarentur mala: ut satis clare ex illis verbis Christi D. apud Matth. 19. v. 8. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: deducunt D. Hieronym. L. 1. com. in Matt. c. 5. & L. 3. c. 19. D. Bonav. Covarr. de Spons. p. 2. c. 7. §. 4. n. 4. & alii, & præcipue Magist. Sent. in 4. D. 33. p. 2. ibi: Permisit Moyses aliam ducere, dato priori libello, quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit: non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium; permisit fieri mala, ne fierent peiora. Et ibid. D. Thom. art. 2. q. 2. in corp. hanc sententiam communionem dicit, quamvis ipse utramque probabilem judicet. Hanc permissionem Judæis factam fortè, ut exemplar sumperunt Cretenses, Athenienses, Romanæ, & aliæ Gentes, apud quas repudium maximè viguit. L. 2. ff. b. t. & divortia frequentissima erant, ut testantur Martial. l. 6. Epigr. 7. Aut minus, aut certè, non plus tricesima lux est, & nubit decimo jam Thalesina viro. Nam ex quacumque, etiam levi causa, divortium fiebat, ut lepide depingit Juvenalis: Si verum excutias facies, non uxor amatur: tres rugæ tubent, & secutis arida laxet, fiant obscuro dentes, oculique minores: collige sarcinulas, dicit libertus, & exi. Hodie vero tam Judæis, quam aliis illicitum est repudium: siquidem à Christo D. fuit revocatum, & ad primævam indissolubilitatem redactum est matrimonium. Matth. 19. v. 6. c. 8. b. t. ibi: Cum tale repudium veritas in Evangelio reproboverit. Et quidem atenta præcisè natura matrimonii aliqualem inseparabilitatem, & indissolubilitatem habet, quæ quidem etiam competit matrimonio rato de Jure Divino, & Naturali, ut probatur ex c. un. de Voto in 6. Trid. sess. 24. de Matr. princ. majorem tamen inseparabilitatem sibi ratione Sacramenti arrogavit. Sic D. Th. in 3. p. Sup. q. 67. art. 1. in corp. ibi: Resp. dicendum, quod matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Undè de Lege natura est, quod parentes filiis thesaurizent, filii parentum heredæ sint, & ideo cum proles sit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum Legis naturam dictamen, & sic inseparabilitas matrimonii est de Lege nature. Et postea ad 2. ait: Quod inseparabi-

litas competit matrimonio, secundum quod est signum perpetue conjunctionis Christi & Ecclesie, secundum quod est in officium nature ad bonum prolis ordinatum, sed quia separatio matrimonii magis directe repugnat significatione quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat irreparabilitas matrimonii magis in bono Sacramenti intelligitur, quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit. Sic plures cum Sanchez, de Matr. lib. 2. D. 13.

176 Matrimonium infidelium, etiam consummatum potest dissolvi in favorem Religionis, & fidei ex Divina dispensatione, etiam quoad vinculum. 1. Si uno ad fidem converso alter cum eo renuit cohabitare, ex eo quod sit conversus ad fidem per susceptionem baptismi. Ita Apost. 1. ad Cor. 7. ex v. 13. ibi: *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: quod si infidelis discedat, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in huiusmodi. c. 3. c. 4. c. 7. & seq. 28. q. 1. c. 7. c. 8. h. t. l. 3. tit. 10. p. 4.* Quando infidelis utique consentit cohabitare converso, non tamen alter cohabitaret, quam cum creatoris contumelia, quatenus fidem, nomenque Dei, & Christi contemnat, domesticorum conversionem prohibeat, vel conjugem fidelem ad peccatum inducat, c. 4. c. 5. c. 6. 28. q. 1. l. 3. tit. 10. p. 4. c. 7. h. t. ibi: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, vel labatur in barsim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non creditur, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, posset ad secundas nuptias evolare: licet in hoc casu major appareat contumelia creatoris: nam etiam matrimonium inter infideles existit, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus,*

illo durante perduret. In his tamen casibus, non statim matrimonium dissolvitur: sed tunc quando fideles aliud matrimonium contrahit arg. c. 8. h. t. c. 2. c. 28. q. 2. Nam ibi dicitur absolute, quod per baptismum non solvitur conjugia. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 59. art. 6. in corp. ibi: *Respondeo dicendum, quod fornicatio corporalis, & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii. Unde specialem habent vim separandi matrimonium: sed tamen intelligendum est: quod matrimonium dupliciter solvitur: uno modo quantum ad vinculum, & sic non potest solvi postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium, sed si non est ratificatum solvitur vinculum permanente infidelitate in altero conjugum: si alter conversus ad fidem, ad aliud conjugium transeat. Non autem solvitur vinculum predictum per adulterium: alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adultera, & ea dimissa aliam ducere, quod falsum est. Alio modo solvitur matrimonium, quantum ad actum. Et sic solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem spiritualem, sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium, in quantum ad actum, nisi forte ad tempus se velit vir subtrahere a consortio uxoris ad castigationem eius subtrahendo ei presentia sue solatium. Consentunt D. Bonav. Navar. Sanchez, de Matr. lib. 7. D. 75. n. 4. Ponce, de Matrim. lib. 7. c. 48. n. 17. & alii contra Gloss. in c. 7. h. t. Abul. Abbas. & alios. Hinc est, quod infidelis non potest matrimonium novum contrahere, antequam conversus ad fidem novum contrahat matrimonium: siquidem antea non est dissolutum antiquum: alio tamen jam contracto matrimonio a converso ad fidem, potest & ipse infidelis, non solum valide, & facile ab omnibus conceditur: siquidem jam primum solum est, sed etiam licite novum contrahere matrimonium; quia nullum jus hoc prohibet, ut contra D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 5. ad 3. & alios tenent Gloss. in c. fin. 28. q. 2. Abul. Sanchez, de Matrim. l. 7. D. 77. n. 6.*

177 Licet sit certum, posse conversum stante infideli in sua obstinatione, ordines suscipere, vel Religionem ingredi: nec matrimonium instaurari altero conjugum postea ad fidem converso: sicut quando divortio facto ob adulterium uxoris est vir ordinatus, vel Professus Religionem. D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 5. Sanchez, de Matr. l. 7. D. 76. n. 6. non tamen

men est certum dissolvi matrimonium, si conversus Sacros Ordines suscipiat; ut tenent S. Bonav. in 4. D. 39. art. 2. q. 2. vel Religionem profiteatur, ut tenent Sanchez, de Matr. l. 7. D. 76. ex n. 9. Salmanticenses, de Matr. tr. 9. cap. 4. n. 52. Quia tale matrimonium solum dissolvitur ex Divina dispensatione, quae nullibi concessa legitur ordinationi Sacri, nec professioni Religiosa. Abul. in 1. Reg. 8. q. 68. & 74. Ponce, de Matr. l. 9. cap. 4. n. 19. si infidelis cohabitare velit converso sine injuria creatoris, nec sit perversionis periculum, quale non est cum Indis, & aliis Gentilibus, non potest conversus ab infideli recedere, & aliud contrahere matrimonium: imò potest accidere, quod per conversum etiam infidelis convertatur, ut ait Apost. 1. Cor. 7. ex v. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam, cap. 7. cap. 8. h. t. D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 5. in corp. D. Bonav. ibid. art. 2. q. 1. Navar. Man. cap. 22. n. 49. Valent. Toledo, & alii contra Soto, Sanchez, de Matr. lib. 7. D. 74. n. 9. Ponce, de Matr. l. 7. cap. 48. n. 10. Qui negant posse conversum cum infideli cohabitare, sed eorum doctrina ex cap. 10. 28. q. 1. deducta est intelligenda cum imminet perversionis periculum. Si conjuges fideles a fide apostatarunt, & postea alter eorum respiciat, fidemque rursus amplectatur, non potest novum matrimonium inire, etiamsi in apostasia perseverans, vel absolute nolit cum eo cohabitare, vel non aliter, quam cum injuria creatoris: quia cum sit matrimonium consummatum fidelium, numquam nisi morte dissolvitur; arg. Trid. sess. 24. de Sacram. Matr. Can. 6. Barb. in cap. 7. h. t. n. 1. Potest tamen conversus, quoad thorum, & cohabitationem ab apostata separari, cap. fin. de Convers. conjugat. cap. 6. h. t. Quando infidelis, qui in sua infidelitate plures habebat uxores convertitur: cum habere plures uxores sit contra Legem naturae, quia etiam infideles sunt adstricti, ideo non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa cum qua primo contraxit: unde si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur potest cum prima commanere, & alias debet abjicere. Si autem prima converti noluerit, & aliqua aliarum convertatur, idem jus habet cum illa contrahendi de novo, quod cum alia haberet. Quod si prima uxori dedit libellum repudii, aliamque duxit, & in illo matrimonio existens convertatur, cum infideli non liceat uxorem repudiare, quia*

repudium est contra Legem naturae, tenetur repudiatam accipere, si voluerit converti: & aliam abjicere. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 59. art. 3. ad 4. & 5.

178 Matrimonium fidelium nondum consummatum, sed ratum tantum, adhuc dissolvi potest, etiam utroque conjugum vivente: nam licet verè Sacramentum sit, neutiquam tamen significat unionem Christi cum Ecclesia, qualem significat matrimonium consummatum, & quae est indissolubilis; sed unionem animae cum Deo per gratiam, quae solubilis est, cap. 5. de Bigam. Dissolvitur ergo 1. per professionem Religiosam, cap. 2. cap. 7. de Convers. conjugat. Trid. sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 6. Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per Religionis professionem alterius conjugum non divini: Anathema sit. Est ergo de hinc, matrimonium ratum per professionem Religiosam dissolvi. Sanchez, de Matr. l. 2. D. 18. n. 3. 2. Pontifex eius universalis potestate ad gubernandum Ecclesiam ipsi a Christo D. concessa. Matth. 16. v. 18. & 19. ibi: *Et tibi dabo claves Regni Caelorum, &c. potest quidem dispensare in matrimonio rato fidelium; non quidem potestate humana, sed potestate a Christo specialiter accepta, ut optime dicit Suar. tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 17. n. 21. arg. text. in cap. 2. de Translat. sicut potest dispensare in professione Religiosa, per quam matrimonia dissolvitur: estque locus regulae. Si vinco vincem te, a fortiori vincam te. Gloss. in l. 14. ff. de Divers. & tempor. praescript. & sic teneant Mart. V. Paul. IV. Pius IV. & alii. Et de Greg. XIII. refert Henric. l. 11. de Matr. cap. 8. n. 11. unica die cum undecim dispensasse. Et sic resolutum fuit a S. Congregat. speciali jussu Clem. VIII. habitata die 16. Julii 1599. apud Pignat. tom. 1. cons. 148. n. 5. Et quidem in dubio pro Pontificis potestate stare debemus, & quantum liceat, ampliare debet. Et hanc sententiam tenent Gloss. Immo. Jean. Andr. & Abb. in cap. 7. de Convers. conjugat. Navar. Man. cap. 22. n. 21. Greg. Lop. in l. 5. tit. 10. p. 4. Suar. tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 17. n. 21. Barbosa. l. 2. Jur. Eccl. cap. 2. n. 121. Sanchez, de Matrim. l. 2. D. 14. n. 2. Belarm. Laym. Less. & alii contra Scotum in 4. D. 31. q. 1. S. Bonav. in 4. D. 27. art. 3. q. 2. Cov. Set. Gu-tierrez. & alios, apud & cum Ponce, de Matr. lib. 9. cap. 3. ex n. 3. Quod dilucide confirmat Benedict. XIV. in Const. ei miseratione. ann. 1741. dum apponit formam procedendi in dispensatione matrimonii rati nondum consummati. * Principes*

verò infideles cum hac potestate à Christo concessa careant nequeant cum suis subditis dispensare in matrimonio rato; imò, & probabilius contra aliquos, nec Pontifex, quando non adest causa, & quidem gravis, & legitima; v. g. Vitatio discordiarum, & scandalorum: magna inter conjuges disparitas: impotentia, lepra, vel alia infirmitas matrimonio superveniens, quæ usum matrimonii impedit, & alia hujusmodi: quia indissolubilitas matrimonii etiam rati à Jure Divino provenit, & solum Pontifex dispensat nomine Dei; ac proinde non pro libitu: cum non concedatur hæc facultas ad dissipandum, & destruendum, sed ad ædificandum. Non tamen requiritur utriusque conjugis consensus, sed altero invito potest dispensare Pontifex. *Sanch. de Matr. l. 2. D. 15. & 16.* Si infideles post matrimonium consummatum convertantur ad fidem, & de novo non consumant illud post baptismum susceptum, posse in eo matrimonio Pontificem dispensare assertunt. *Navarr. Sanc. de Matr. lib. 2. D. 17. n. 2. & alii.* Sed cum tale matrimonium sit matrimonium fidelium ratum, & consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia, *cap. 5. de Bigam. ac per consequens non potest dissolvi. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 2. n. 8. Vazq. & alii.*

179 Quando matrimonium est nullum, quia aliquo impedimento dirimente est contractum, debet nullum declarari, & conjuges ad invicem separari, *cap. 3. h. 2.* ut vitetur peccatum. Quoniam non esset matrimonium talis conjunctio, sed fornicatio, quæ nullo modo potest permitti. Non tamen possunt se ad invicem propria autoritate separare: etiamsi impedimentum notorium sit, sed debet tale matrimonium judicio Ecclesie nullum declarari. Nec quidem ex eo solum, quod unus, vel etiam ambo conjuges, etiam rumore viciniæ accedente, impedimentum dirimens fereantur, separandi sunt, *cap. 5. de eos qui cognovit: ne locus collusioni detur; sed tunc quando plena, & perfecta probatio impedimenti detur, per duos testes omni exceptione majores; arg. cap. 1. de Consang. cap. 22. de Test. vel de impedimento notorie constat. Et quidem tunc potest, & debet Judex ex officio, etiam nemine accusante, matrimonium dissolvere, *cap. 3. h. 1.* si fama de impedimento existat, potest Judex ex officio inquirere super impedimento; *arg. cap. 1. de Offic. Ordinar.* Si non constat plene de impedimento, sed*

solum unus testis depositio, fama, vel dubium adsit, Judex pro valore matrimonii pronuntiabit; *arg. cap. 22. de Testib.* quia matrimonium est res favorabilis, *cap. fin. de Sent. & Re jud.* Et conjuges sunt in possessione matrimonii: & in dubio melior est conditio possidentis, *cap. 65. de Reg. jur. in 6.* Si unus conjux propria autoritate ab altero discedat, Judex eum ad conjugem redire compellet, etiam sub censura: nisi de impedimento dirimente notorie constet, aut discedens habeat probationes incontinenti paratas, *cap. 13. de Restitutio. spoliat.* Si conjuges, vel unus eorum sciat, impedimentum dirimens intervenire, licet occultum ut, & non possit illud probare, etiamsi à Jure Ecclesiastico per censuras compellatur, debitum reddere, non potest hoc facere: quippe redderet non suam, quod esset peccatum: ad quod nemo valet compelli, *cap. 44. de Sent. excommunic.* Debent tamen habitare, ut fratres, nisi periculum incontinentiæ adsit, & in forte accidat, quod dicit Ovidius. *Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.* Nam tunc tenentur ad invicem divedere, nec obedire censuræ Ecclesie tenetur, *cap. 13. de Restit. spoliat.* Nec enim potest ullum hominis præceptum contra Jus Naturale prævalere: ac proinde nullo modo vir tenetur obedire, etiam Pontifici præcipienti accedere ad eam, quam scit, suam non esse. Nam hoc est Jure Naturæ prohibitum. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 65. art. 4. in corp.* Et rationem hujus intrinsicæ malitiæ, quæ est infecta fornicatio affert S. Doctor in *art. 3. in corp. ibi: Illa actio dicitur esse contra Legem naturæ, quæ non est concubitus finis debito, quem natura intendit, sive quia non ordinatur in ipsam per actionem agentis, sive quia de se est improporionata illi fini, finis autem quem natura ex concubitu intendit est proles procreanda, & educanda. Et ut hoc bonum quaereretur, possunt delectationem in concubitu, ut Constantinus dicit. Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quæ in ipso est, non referendo in finem à natura intentionem, contra naturam facit; & similiter etiam, nisi sit talis concubitus, qui ad illud finem convenienter ordinari possit. Et quia res à fine plurimum nominantur tanquam ab optimo, sicut conjunctio matrimonii à proli bono nomen accepit, quod per matrimonium principaliter queritur: ita concubitus nomen illam conjunctionem exprimit, quæ solus concubitus propter se ipsam queritur. Et*

si etiam aliquis, quandoque ex tali concubitu prolem quaerat, non tamen est conveniens ad proli bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit; sed etiam educatio, & instructio per quam accipit nutrimentum, & disciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur secundum Philosophos in 8. Ethic. Cum autem educatio, & instructio proli à parentibus debeantur per longum tempus, exigis Lex natura, ut pater, & mater in longum tempus commaneant ad subveniendum communiter proli. Unde, & aves, quæ communiter pullos nutriunt, non separantur à mutua societate, quæ incipit à concubitu, vel inconcubendo: hæc autem obligatio ad commanendum femina marito, matrimonium facit: & ideo patet, quod accedere ad mulierem, non conjunctam sibi matrimonio, quæ concubitus vocatur est contra Legem naturæ. Quod etiam significat Horat. lib. 1. *Saty. 3.* quos venerem incertam rapientes more ferarum, viribus editior cadebat, ut in grege Taurus.

180 Quando alter conjugum adulterium commisit, non tenetur innocens adulterum dimittere. Nam dimissio adulteræ innocenti permessa, non præcepta est à Christo D. apud Matth. 19. v. 9. ut notat S. Augustin. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 62. art. 2. in corp.* nisi aliunde scandalum sequeretur, aut illa nollet se emendare, *cap. 3. de Adulter. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 62. art. 6. in corp. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 13. ex n. 5. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 17. n. 2.* Sanè non solum vir, ut frequentius accidit, *cap. fin. 32. q. 5. & ideo de eo locutus fuit Christus D. apud Matt. 5. & 19.* sed etiam uxor, si innocens est, potest ob conjugis adulterium divortium perpetuum facere. *Paul. 1. Cor. 7. c. 5. 28. q. 1. c. 19. 32. q. 5. c. 2. c. 4. c. 5. h. 1.* licet in Legge Veteri, solum viro permitteretur repudiare uxorem, quia in ipsis majus erat periculum occidendi uxores: quæ ratione introductum fuit repudium: aliud certè est in divortio, *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 62. art. 4. in corp. ibi: Respond. dicendum, quod in causa divortii vir, & uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum, & illicitum uni, quod alteri; non tamen pariter judicantur ad illa: quia causa divortii est major in uno, quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium. Divortium enim pena est adulteri, in quantum est contra matrimonii bonum: in quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges*

equaliter sibi invicem tenentur, tamen peccat contra matrimonium adulterium unus, sicut adulterium alterius, & hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum proli plus peccat adulterium uxoris, quam viri, & ideo major est causa divortii in uxore, quam in viro. Et sic ad equalia, sed non ex equali causa obligantur. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 3. n. 6. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 16. n. 4. & alii.* Ut divortium ob adulterium fiat, debet intervenire adulterium formale, & perfectum, scilicet, actus carnalis consummatus cum alio, quam cum proprio conjugè, ita ut dividatur caro cum eo: quia cum matrimonium eo tendat, ut conjuges una caro efficiantur, inde est, quod quæcumque divisio perfectè violat matrimonii fidem, sive copula cum uxore non propria habita, naturalis sit, sive sodomitica, vel bestialis. *D. Thom. in 4. D. 35. q. 1. un. art. D. Bonav. ibid. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 4. ex n. 3.* plures referens. Oscula, tactus, vel alii actus turpes cum pollutione proprii, vel alieni corporis, vel etiam copula attentata non dant causam divortio; quia caro cum alio non dividitur contra fidem matrimonii. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 4. ex n. 9.* Imò nec adulterium, si tantum materiale sit. V. g. si uxor aliquem admittat, credens, esse suum maritum, *cap. 6. 34. q. 1. & 2.* vel si judicans maritum esse mortuum, alteri nubat, vel etiam fornicetur, *cap. 1. 34. q. 1. & 2.* vel si ab ipsa per vim extorqueatur copula, *c. 3. c. 4. 32. q. 5.* & juxta aliquos idem est, si metu gravi adulterium sit commissum; quod negat *D. Bonav. in 4. D. 35. in exposit. littera D. Anton. Sylv. Covar. Acev. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 5. n. 16.* Nec est locus divortio, si maritus fuit Author adulteri, vel in adulterium uxoris consensus, saltem illud non prohibendo, cum facile posset: secus si difficile, *cap. 6. de eo, qui cognovit, cap. 4. h. 1. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 62. art. 1. in corp. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 5. ex n. 4. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 17. n. 7. & 8.* Qui adulterium commisit, non potest agere ad divortium ob alterius conjugis adulterium, etiamsi unum sit publicum, & multoties repetitum: aliud occultum, & tantum semel commissum. Tunc enim unum cum altero compensatur, quia tantum civiliter ad utilitatem privatam agitur, *cap. fin. de Adulter. cap. 4. & 5. h. 1. L. 6. tit. 10. p. 4.* Quod si jam divortium factum sit per sententiam

Judicis ob adulterium uxoris, si maritus adulterium committat, ad eam redire tenetur, & matrimonium redintegrare; ad quod habet mulier actionem, nam cum adhuc vinculum matrimonii duret, fidem matrimonii violavit, & uxori irrogavit injuriam. Sic contra *Soto, Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 9. n. 30.* & alios tenendum est ex *cap. 5. h. t. & Gloss. Host. Joan. Andr. & Gonz. ibid.* Et expressè habetur in *L. 6. tit. 10. p. 4. ibi: E que dixerent sententia de divorcio contra ella, si despues de esto ficieste fornicio el marido con otra muger, por tal razon como esta, puedelo demandar la muger, que torne a ella, è debe la Iglesia apremiar que lo haga, è non se puede escusar, que non torne a ella, maguer diga, que fueron departidos por juicio de Santa Iglesia.* Quippè tunc non ex sententia ageretur, sed ex nova causa superveniente. Nec omnino dissentit. *D. Thom. in 3. p. Supp. q. 62. art. 6. ad 4.*

181 Innocens non tenetur admittere conjugem adulterum, etiamsi respiscat. *D. Thom. in 4. D. 35. q. un. art. 5. ad 2. ibid. S. Bonav. Sot. Gutier. de Matrim. cap. 129. n. 13. Ponc. de Matrim. lib. 9. cap. 19. n. 6.* Quia licet per poenitentiam tollatur culpa apud Deum, non tamen injuria innocenti facta, per quam adulter omne jus conjugale amisit adeo, ut eum possit innocens in ordine ad divortium accusare, postquam multis annis jam de eo crimine poenitentiam egisset. Potest tamen innocens in cuius favorem divortium est introductum, ei renuntiare, & injuriam adulteræ condonare, si expressè, si tacite, matrimonio scilicet, utendo, osculando, amplectendo, ludendo, ridendo, vel alia signa affectus maritalis exhibendo: si hæc faciat scienter, & spontè. *Gutier. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 14.* Et hæc condonatio aliquando conveniens, & expediens erit, *cap. 3. de Aulter.* Imò, & debite si vir timeat periculum incontinentiæ uxoris, cui absque gravi incommodo potest subvenire, *cap. 7. 34. q. 1.* Adulter etiam facto divortio per sententiam Judicis tenetur ad innocentem redire, si hic velit reconciliari: ne alias divortium, quod in gratiam innocentis, est introductum in ejus damnum retorqueatur. Contra *Text. in cap. 61. Reg. jur. in 6.* & sententia prodesse reo, contra quem lata est. Contra *L. 16. ff. de Except. rei judic. D. Thom. in 3. p. Supp. q. 63. art. 6. ad 3. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 10. n. 3. Ponc. de Ma-*

trim. lib. 9. cap. 19. n. 1. Hinc licet innocens statim facto divortio possit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri, etiam invito adultero: adulter tamen non potest statim incompatibilem cum matrimonio suscipere, ut sunt Sacerdotium, & professio Religiosa; nisi alter consentiat expressè, vel tacite suscipiendo Ordines Sacros, vel in Religionem profitendo juxta capacitatem subiecti, vel si adulter emendatus reconciliationem sapius petat, & alter neget: vel si innocens non repetat intra biennium adulteram à Judici Sacrali detrusam in Monasterio ob adulterium. *Auth. Sed hodie, C. ad Leg. Julianæ de Adult. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 10. Ponc. de Matrim. lib. 9. cap. 19.* Quando adulterium unius conjugum publicè notorium est, si ve toriitate facti, si ve juris potest innocens ab adultero discedere, non tantum quoad cohabitationem, *cap. 4. h. t. c. 9. de Spons. ibi: Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. n. 13. & 2; Ponc. de Matrim. lib. 9. cap. 18. num. 2.* Et quamvis contrarium videatur decidi in *cap. 3. h. t. ibi: Potè de comite Pontini, qui B. uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimisit, quia cognatam fuisse uxoris defuncti proficit, prudentia tua cognoscit, quod si etiam parentela esset publica, & notoria absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit.* Pro cuius *Text. cum c. 4. h. t. concordia* varias solutiones afferunt *DD.* sed tenendum est, quod *Text. in cap. 3. h. t.* loquitur de separatione matrimonii, quoad vinculum ob impedimentum dirimens. *Text. in cap. 4. h. t.* loquitur de separatione, quoad cohabitationem; & quia prima separatio est causa valde ardua pertinens ad proprietatem matrimonii, idè semper indiget, etiam in re notoria, judicio Ecclesiæ: secunda verò, quia non est adeo ardua, cum tantum ad possessionem matrimonii spectet, & possit facile reparari, cum non dissolvatur conjugium, potest fieri propria autoritate, quando causa est notoria. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 12. n. 38. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 18. n. 3.*

182 Si uni certò constet de adulterio conjugis per violentam presumptionem fundantem moralem certitudinem adulterii: vel per ea indicia, quæ in foro externo ad divortium sufficienter, potest in foro conscientiæ propria autoritate ab adultero separari, quoad thorum, & redditionem debiti, & cohabitationem.

nem. Siquidem matrimonium non aliter obligat, quoad thorum, & debitum, quam sub conditione, si alter conjux fidem conjugalem servet, *cap. 25. de Jur. jur.* Nec tenetur obedire Judici Ecclesiastico præcipienti debiti redditionem, cum ejus sententia nitatur falsa præsumptione; separatio tamen, quoad habitationem vix fieri potest, nisi quando matrimonium esset occultum, nec scandalum generetur; Imò in foro externo compelletur etiam innocens uxorem recipere, si non proberetur legitime adulterium, vel alias notorium sit: ut malitiis horum obvietur. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. ex n. 31. plures referens.* Hinc est, quod cum B. Josepho esset manifestum, se non cognovisse B. Virginem Mariam suspicatus est, quod conceperat ex adulterio. Et hæc causa voluit occultè dimittere eam, & cum hæc dimissio esset occulta, & sine scandalo certè excusavit Beatum Josephum à culpa. Aliqui intendunt excusare B. Josephum, dicendo, non ob suspicionem adulterii, sed ob reverentiam erga B. Virginem, cujus consortio se judicabat indignum, eam voluisse dimittere. Sic *Origin. D. Bernard. D. Thom. in 4. D. 35. q. un. art. 3. ad 2.* Hæc quidem sententia uterit, si concipionem in festo D. Josephi facerem ad Populum; sed cum nunc magis veritatem solidam, quam subtilitatem devotam quæram, dicendum censeo D. Josephum voluisse dimittere Mariam ob suspicionem adulterii. Sic *D. August. Epist. 54. & serm. 16. de Verbis Domini. D. Chrysost. Matth. 1. Abul. in Matth. 19. q. 72. ad 2. Suar. in 3. p. q. 29. à 1. D. 7. sect. 2. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. n. 36.* Nam si voluisset ob reverentiam dimittere Mariam, ut quid ponderatur, quod cum esset justus, nollet eam traducere, id est infamare, vel accusare, ut adulteram? Cum non esset ratio, ut etiamsi non esset Justus veller traducere, quam adeo sanctam judicabat. Deinde: quia ejus timor cessavit, quando Angelus ei dixit, de Spiritu Sancto esse, quod in ea natum erat: siquidem tunc, crescente reverentia ob tantum favorem, cresceret, & timor, & loco apponendi comedem, ut teneretur esset calcari adjungere, ut citius fugeret. Quando tantum est dubium, vel probabilis, non violenta suspicio de conjugis adulterio, non potest privari conjux possessione, *cap. 4. h. t. cap. 9. de Sponsalib. & Matrim. D. Thom. in 4. D. 35. q. un. art. 3. ad 4. D. Bonav. D. Antonin. quia*

melior est conditio possidentis, *cap. 65. de Reg. jur. in 6.* Judex potest sententiam divortii ob adulterium proferre per conjecturas, & præsumptiones violentas, cum delicta carnis sint difficilis probationis; nec requiruntur testes de visu, nec physica certitudo cum magna Vulcani industria tribuatur deprehensio Veneris cum Marte: sed sufficit certitudo moralis; v. g. si uxor suspecta inveniat sola cum solo tempore, & loco ad peccandum apto. Etiam oscula, tactus, amplexus, xenia, litteræ amatoriaræ cum aliis adminiculis (non sine illis) si plene probentur: non quidem per dictum maritum, ne sit Judex in propria causa; sed per testes, vel confessionem uxoris, sufficienti ad divortium faciendum, etiamsi non sufficiant ad criminalem condemnationem, ut magis arduam, *c. 12. de Præsumpt. & ibid. DD.* ita plures citans *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 12. ex n. 43.* ubi notat, quod quamvis marito suspicanti adulterium uxoris licitum sit eam cum testibus observare, ut possit illam de adulterio convincere, non tamen licet convenire cum conjuge, quod amatum eam sollicitantem ciet ad tempus, & locum certum, etiamsi non sit, ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehendatur.

183 Licet fornicatio sit unica causa per se ad faciendum divortium perpetuum, & absolutum. *Matth. 5. & 19. L. 2. tit. 10. p. 4.* plures alia sunt causæ ad divortium faciendum judicio Ecclesiæ ad certum, vel incertum tempus. *Trid. sess. 24. de Sacr. Matrim. Can. 8. Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 14.* Hæc causæ in triplici differentia considerantur, & sunt sequens 1. fornicario spiritualis, seu hæresis, vel apostasia. 2. animæ periculum. 3. periculum corporis: ad quam reducitur molesta cohabitatio, & sævitia conjugum. Et quidem divortio facto, liberi educantur, & aluntur apud innocentem expensis illius, qui causam dedit divortio, nisi innocens sit infidelis; nam tunc favore fidei apud fidelem educantur, *c. fin. de Convers. infidel.* Si mater dedit causam divortio, & transit ad secundas nuptias, neutiquam est ipsi relinquenda proles: si tamen ipsa sit dives, & pater pauper, vel non idoneus, apud matrem educabitur proles, quamvis ipsa divortio causam dedisset. Et idem de patre dicendum est. *Auth. Si pater. C. de Divort. fact. L. 3. tit. 19. p. 4. & ibid. Gregor. Lopez, Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 20.*

Prima ergo causa divortii est hæresis, seu apostasia, *cap. 2. h. t. l. 2. tit. 10. part. 4.* ac proinde si innocens grave periculum perversionis patiat, tenetur hæreticum dimittere, nec indiget autoritate Judicis: nam cum hæc obligatio sit Juris Naturalis, potest propria autoritate hæreticum dimittere, si solum ex cohabitatione periculum commune perversionis imminet, non tenetur innocens ab eo communi periculo fugere cum gravi suo detrimento: quod sanè pateretur in divortio, vivendo in cælibatu, quæ obsequiis, & cohabitatione uxoris privando, *cap. 6. h. t. Sanch. de Matrim. l. 10. D. 15. ex n. 5.* cum hæresis ex se non sit causa perpetui divortii, innocens tenetur admittere conjugem respicientem post divortium, non solum autoritate propria, sed etiam sententia Judicis factum, *cap. 7. h. t. & deducitur ex Leg. 2. tit. 10. p. 4. ibi: Esso mismo seria del que ficiesse jorncio espiritualmente, tornandose Herege, ó Moro, ó Judío, si non quiescere facer enmienda de su maldad.* Nisi fortè innocens velit Religionem ingredi: nam favore Religionis non tenetur conjugem admittere, *e. fin. de Convers. conjugatur.* Et sic debet intelligi, *cap. 6. h. t.* quod videtur contrarium; *text. in cap. 7. h. t. sic Gloss. in cap. 6. h. t. Hostiens. Joan. Andr. Abulens. in c. 19. Matth. q. 76. Barb. in cap. 6. h. t. n. fin. Greg. Lop. in l. 2. tit. 10. p. 4. & alii apud Sanch. de Matr. l. 10. D. 15. n. 18.* contra *Sanch. n. 19. ubi plures citat. Gonz. in cap. 6. h. t. & alios.* Si uterque conjux ab Ecclesia est de hæresi damnatus, uterque potest ab altero, etiam invito divertere: quia per sententiam uterque est perpetuo privatus jure conjugali: nec in hoc datur compensatio. Si unus tantum sit condemnatus innocens, potest ab eo divertere, nec eidem reconciliari tenetur, *Sanch. de Matr. l. 10. D. 16. n. 4.* Nec hæresis cum adulterio, quoad divortium agens adversus hæreticum ad divortium: nec ejus intentio elidit adulterii exceptionem: quia licet hæresis post sententiam sit causa perpetui divortii, sicut adulterium, ratio est diversa, & finis distinctus: quippe divortium ob adulterium est inductum ob utilitatem privatam conjugis, secus divortium ob hæresim; nam hoc est inductum ob injuriam, & violationem fidei, non conjugii, sed Deo data. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 16. Ponz. de Matrim. lib. 9. cap. 22. n. fin. 2. causa divortii est*

periculum animæ, quod conjux timet ex cohabitatione cum alio; v. g. si inciter, vel impellat ad beneficium, turrim, maleficium, præposteram venerem, licet innocenti divortium facere, *c. 5. 28. q. 1.* non tamen perpetuum, licet hoc aliqui concedant: nam tenetur innocens conjugem emendatum admittere ad cohabitationem. Si delictum conjugis nec in periculum animæ, nec corporis alterius redundet, non licet ob illud divortium facere; *arg. cap. 2. h. t. & ibid. Abb. D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 6. Sanch. de Matr. l. 10. D. 17. n. 5.*

184 3. Causa est periculum corporis, quod conjugii imminet ex cohabitatione alterius, & præbet causam divortio. Hinc sanus potest separare se a Leproso, vel alio morbo contagioso laborante. *Novo. Man. cap. 22. n. 22.* vel a latrone si timeat ob ejus consortium grave vitæ, vel honoris detrimentum. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 18. n. 21.* Savitia, non solum viri, ut frequentius accidit, qua uxorem suam crudeliter tractat, vel ejus vitæ ferro, vel veneno insidiatur: vel mortem, vel mutilationem seriò minatur, *cap. 8. cap. 13. de Restit. spoliator.* sed etiam si uxor mariti vitæ insidiatur, & nequeat aliter maritus se ab ea tueri, divortium facere potest, *cap. 1. h. t. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 2. Sanch. de Matrim. l. 10. D. 18. n. 2. & 8. Ponz. de Matrim. l. 9. cap. 23. num. 8.* contra aliquos. Quia cum non solum uxori, sed etiam, & marito hoc possit imminere periculum jus naturale dicitur, quod possit illud faciendo divortium vitare, siquidem cum correlativa sint, quod de uno dicitur, de altero sua proportione intelligendum est, juxta illud; *sed quæcumque viris, vobis quæque dicta, puella, creâite: diversis partibus arma damus.* Et licet ad hoc divortium requiratur autoritas Judicis Ecclesiastici; *arg. c. 8. c. 13. de Restit. spoliator. c. 4. h. t.* potest uxor à saviente discedere propria autoritate, si ut plerumque accidit, sit periculum in mora: nec restituitur, nisi saviens præstet cautionem de non offendendo, vel per pignora, & fidejussores, vel his deficientibus per juramentum; *arg. Auth. Generalitèr, C. de Episc. & Cleric.* Quod si adhuc mulier non credatur secûra, apud cognatos, vel alio loco securo donec causa disceptetur deponitur; *arg. cap. 14. de Spons. Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. ex n. 40. Ponz. de Matr. l. 9. cap. 23. n. 6.* Quod si tanta fit conjugis savitia, ut nulla spes emenda-

tio-

tionis appareat, & sententia divortii perpetui sit pronuntiata à Judice, potest innocens Sacros Ordines suscipere, vel in Religione profiteri, etiam altero invito, secus est, si divortium sit tantum temporale. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. n. 49.* si conjux in furorem incidat, ita tamen, ut sine periculo possit sanus cohabitare, separari non debent; *arg. cap. 18. 32. q. 5.* possunt tamen separari si in cohabitatione est periculum; imò si judicio Medicorum desperetur extinctio furoris potest fieri divortium perpetuum, & sanus poterit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri. Quod si præter spem furiosus ad mentem redeat, suum conjugem revocabit ad cohabitationem. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 18. n. 48. Janet. D. 9. n. 9.* Etiam molesta cohabitatio, quæ ex rixarum, & jurgiorum frequentia, quæ inter conjuges oriuntur, cum gravem metum incutiant, & corpus, & anima possint periclitari, dat causam divortio. *Sanch. de Matr. l. 10. D. 18. n. 11.*

TIT. XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

185 **I**N præsentî titulo agitur de donationibus, quæ inter virum, & uxorem solent fieri: & in secunda Rubrica parte agitur de dote, quæ viro ab uxore traditur, & uxori à viro, dissoluto matrimonio, restitui debet: cum ergo de his suo ordine agendum sit: jam ad primæ partis explicationem deveniamus. Donatio merè liberalis, & gratuita quæ fit inter conjuges durante matrimonio, ita ut donans fiat pauperior, hoc est, quod ejus patrimonium actu habitum diminuatur, & donatarius fiat locupletior, hoc est, quod ejus patrimonium augeatur: est nullius momenti ex parte donantis: siquidem, nec civilem, nec naturalem ex ejus parte obligationem producit, jure resistente. Donatarius tamen potest rem donatam retinere, quousque revocetur à donatore, vel morte donatoris confirmetur, *cap. fin. h. t. & ibid. Barb. & Gonz. Sanch. de Matrim. l. 6. D. 1. & alii:* aliis conjuges mutuo amore invicem spoliarentur, dum donationibus, non

temperantes profusa erga se liberalitate uterentur. *L. 1. ff. h. t.* Et melior in paupertatem incidere, & deterior ditior fieret. *L. 3. ff. eod. l. 4. tit. 11. p. 4. ibi: E porque el que fuese escaso, seria de mejor condicion, que el que es franco en dar.* Etiam prohibentur donationes, quas sibi conjuges non immediate, sed alia mediante persona faciunt. *L. 5. ff. h. t.* Item venditio, vel alius quicumque contractus, si in eis pretium remittatur. Vel alia quæcumque debiti remissio: nam tunc etiamsi alio nomine pallietur, erit vera donatio. Alii tamen contractus, in quibus donatio non intervenit valent inter conjuges. *L. 5. §. 5. ff. h. t.* Donatio sanè inter conjuges cum non adversetur bonis moribus, nec vergat in dispendium salutis æternæ: sed solum Legibus Civilibus opponatur, confirmatur per juramentum de ea non revocanda. *arg. cap. 28. de Jur. jur. cap. 2. de Pact. in 6. Covarr. 1. Var. cap. 7. n. 4. Gutier. de Jur. confirm. p. 1. cap. 3. num. 7. Gomez, Molina. Sanch. de Matr. l. 6. D. 11. n. 2. contra Barb. Bald. & alios.* At verò donatio causa mortis inter conjuges valet: quippe morte matrimonio soluto, cessat periculum, ne mutuo amore spolientur: imò, & donatio ab ipsis inter vivos facta, si non revocetur expresse, aut tacite: morte donantis ante donatarium confirmatur, *capit. fin. h. t. l. 32. §. 1. ff. eodem, l. 4. tit. 11. p. 4. Sanch. de Matr. l. 6. D. 14.* præcipue si præcessit traditio saltem ficta rei donatæ. Sed hodie non requiri, præcessisse traditionem tenent *Gonz. in cap. fin. h. t. n. 12. & alii.* Etiam in aliquibus casibus valet donatio inter vivos facta inter conjuges: 1. si donatio inter spouses celebratur, quin suspendatur ejus effectus in tempus jam contracti matrimonii. *L. 27. ff. h. t.* quod si dominii translatio in tempus matrimonii conferatur, non valet. *L. 32. §. 22. ff. h. t.* Si verò matrimonium non sequatur, non tenet donatio: siquidem sub tali conditione intelligitur celebrata: nisi pactum de non revocando obstat: vel copula post sponsalia sequatur: vel culpa donantis non sit matrimonium secutum. *L. 15. C. de Donat. ante nupt. 2.* Donatio, quæ confertur post mortem donantis. *L. 11. ff. h. t.* talis enim creditur donatio causa mortis: quæ sanè inter conjuges valet. *L. 9. §. fin. ff. h. t.* sed non transfertur in donatarium dominium, donec mors donantis sit secuta, etiamsi res donataria tradita sit. *L. 11. ff. h. t. Barbos. & Gonz. in 6. cap.*